

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Georg Meijer Jacob Fabricius

Disputationum Physicarum Decimaquarta De Elementis In Genere

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742736679>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn742736679/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742736679/phys_0001)

DFG

R. U. phil. 1609. 10.

12 ggl.

35 1717



Disputationum Physicarum
DECIMA QVARTA

DE
ELEMENTIS
IN GENERE,

Quam

Divina adspirante gratia

In Inclita Academia Rostochiensi

SUB PRÆSIDIO


M. GEORGII MEIERI
Duderstadensis Saxonis.

Tuebitur

JACOBUS FABRICIUS

Slesvicensis

Ad diem 4. Iulij horis & loco consuetis.



Rostochij Typis Myliandrinis Anno 1610.



VENERANDIS, CLARISSIMIS
ET EXCELLENTISSIMIS VIRIS

Theologis Præstantissimis

Ecclesia IESU Christi in Inclyta Hamburga
Pastoribus & Doctoribus vigilantissimis:

Dn. M. BERNHARDO VAGETIO

Reverendi Ministerij Seniori ac p[ro]cessu[rum]
dignissimo,

Dn. M. IOHANNI SCHELHAMERO.

Dn. M. IACOBO RENECCIO.

Dn. M. HENRICO RUMPIO.

Dominis fautoribus ac amicis suis, omnire-
verentia cultu honorandis,

Hanc quoniam de Elementis Magisteri, in sincerioris
observantiae monumentum,

officiose

nuncupat

JACOBUS FABRICIUS
J. F. Respondens.

DE ELEMENTIS IN GENERE.

Theorema I.

Elementa sunt corpora simplicia, homogenea, ex quibus reliqua corpora mixta omnia componuntur.

I. Ostequam primam, præstantissimamq; mundi partem, cælum nimirum, aliaq; que in cælo nobis contemplanda proponuntur, consideravimus: consequens est, ut proximè de Elementis, è quibus reliqua corpora mixta componuntur, differamus.

Dicuntur vero Elementa corpora simplicia, non simpliciter, quod omnis compositionis prorsus sint experitia, sed secundum quid, quod corpora mixta ex ijs componantur. Sunt enim Elementa composita ex materia & forma, ideoq; in se invicem transmutantur, quod sit, quando materia formam quam habet abiicit, aliam induit, ideoq; Elementa non principia, sed principiata: quod inde etiam patet, quia non omnia corpora ex ijs constant, siquidem corpora cœlestia, ea pro principijs minimè agnoscunt. Sunt itaq; Elementa & principia & principiata: sive corpora simplicia & composita, sed diverso respectu. Principia respectu corporū mixtorum: principiata vero respectu materiae & formæ, è quibus constant.

III. Homogenea, seu specie individua dicuntur, quia in partes specie differentes dividit non possunt. Sicut enim Elementa

ex diversis speciebus composita non sunt : sic nec in res diversarum specierum dividendi possunt , atq; ob id simplicis planè & homogeneae sunt naturæ.

IV. Constant vero ex Elementis omnia corpora, tam perfectè, quam imperfectè mixta. Perfectè mixta quidem, ex perfecta eorum concretione : imperfectè mixta, ex imperfecta Elementorum concretione, quod inde patet, quia quando corrumpuntur, vicissim in Elementa resolvuntur.

Theorema II.

Materia Elementorum, non nisi materia prima est.

Immediatè ex materia prima constant Elementa, quia non nisi mediantibus elementis, materia prima reperitur in mixtis, & dicitur materia prima etiam principium mixtorum, sed remotum tantum, proximum vero Elementorum, ut & ipsius cœl, lucet cœlum multis privilegijs, præ elementis gaudeat, non quidem à materia provenientibus: ea enim omnibus rebus communis est: Sed à forma, ut theor. 2. disput. 12. demonstratum est. Et quid quo se aliud nos in cognitionem materiae prima duxit, quam Elementa? Deprehendimus enim in quovis elemento contraria, formam videlicet & privationem. & eorum pugnam, contraria autem subiecto carcere non possunt, siquidem aliquid sit necessarium est, quod contrarietatem istam sustineat, illud autem quid aliud est, quam materia prima? Præterea transmutantur in se invicem Elementa. Videmus enim, ex aqua aërem fieri, & contrà, ex aëre aquam: Nulla autem transmutatio fit extra subiectum. Quando igitur ex aëre fieri debet ignis, materiam primam adesse oportet, in qua hujuscemodi transmutatio fiat. Fit autem in hunc modum: Materia ipsius aëris, à causa aliqua efficiente alterata, & ad

*& ad transmutationem disposita, formam quam habet deponit, &
in momento aliam, ignis formam assumit.*

Theorema III.

Formæ Elementorum non sunt primæ qualitates, sed propriæ formæ substantiales, à quibus qualitates primæ proximè & immediate fluunt & proficiscuntur.

I. *Formæ Elementorum, ut fermè rerum omnium nos latent.*
Formæ essentiam, puto latere nos, quemadmodum & alias multas, ac fortassis omnes: In magno enim versamur pericolo, ne nullam veram teneamus definitionem, ne nostra scientia repat humi per tenebras, circa sola accidentia, inquit *Scal. exer. 101. sect. 14.* Item: Sicut vulpes elusa à ciconia, lambimus vitreum vas: pultem haud attingimus. *exer. 307. sect. 21.* *Formas igitur Elementorum ignoramus. Non vero esse primas qualitates scimus.* 1. *Quia sunt accidentia: Sunt enim in categoria qualitatis.* Nullum autem accidens est forma substantiæ. 2. *Quia prima qualitates p'r se incurruunt in sensum: Sunt enim tactus objectum.* Nulla autem substantialis forma per se incurrit in sensu: sensus squide objectum est in tertia specie qualitatis, & sic accidens, quod de forma substanciali dici nequit. 3. *Quia in quolibet elemento dua sunt primæ qualitates: In igni, caliditas & siccitas: In aëre, caliditas & humiditas: In aqua humiditas & frigiditas: In terra deniqz frigiditas & siccitas.* Nulla autem substantia, duabus constat formalis substantialibus.

II. *Insurgunt alij.* 1. *Forma est, per quam res à re differt:* Omnis enim differentia à forma. Atque Elementa per primas

qualitates, à reliquis rebus omnibus differunt. Hinc etiam loco
differentia, prima qualitates in definitione elementorum ponun-
tur. E. g. quando ignem defino, dico, quod sit Elementum calidum
& siccum. Hic caliditas & siccitas si non haberent rationem for-
mae, non possent loco differentia, in definitione ignis ponit. E. 2. Illud
est reiforma, quo sublati, res ipsa tollitur: Forma enim quia est
de essentia rei, non potest à re abesse, salva manente ejusdem essen-
tia. Atqui sublati elementorum primis qualitatibus, tollun-
tur elementa ipsa: Non enim essentia ignis salva manet, & inte-
gra, sublatâ (actu primo) caliditate & siccitate. E. 3. Per quod
quid agit, illud est eius forma: Omnis enim actio à forma.
Atqui per primas qualitates elementa agunt: Quis enim nescie-
ignem agere per caliditatem & siccitatem? E.

III. Argumenta hæc prima fronte alicujus momenti esse vi-
dentur. Sed si ad trutinam veritatis appendantur, nullius ea esse
deprehendemus. Nam primum initio non est legitimā formā
constructum: Est siquidem in secunda figura, in qua syllogismi
fieri debent, non affirmativi, sed negativi, sicuti docemur in Lo-
gicis. Deinde major ita conceditur, quod videlicet per formam
quidem res à re differat: Sed non omne illud statim est forma, per
quod res à re differt, quia etiam per proprias operationes forma, res
à se invicem distinguuntur. Hinc in forma duo consideranda ve-
niunt, actus primus, qui est ipsa forma: & actus secundus, qui
forma operatio. Et quia actus primus in rebus plerisque, ut supra
dictum, nos latet, non possumus à forma rerum differentias sumere,
sed ab actu secundo, à forma operationibus. Concedimus itaq. Mi-
norem, quod elementa per primas qualitates, à rebus omnibus
differant, sed inde non sequitur, quod sint forma, siquidem ut jam
ostensum, differentia potius sumitur ab actu secundo, à pro-
prijs rerum operationibus, quam ab actu primo, à forma ipsa.
Quod autem urges, primas qualitates non posse in definitione, loco
differentia ponit, si non habeant rationem forma, propterea quod
diffe-

differentia in definitione equipollat forma, quemadmodum genus materia. Hic respondemus. Propriæ rerum qualitates sive operationes, formarum si ignorantur, vicem locumq; supplent, quæ quia in omnibus rebus diversa sunt, & subinde alia, aliam quoq; & diversam in rebus ipsis arguunt & connotant formam. Sic formam ignis quia ignoro, in definitione loco forme, sumo proprias ignis qualitates, caliditatem & siccitatem: non secus ac in definitione equi, loco forme, proprium ejus accidentis sumitur, quod est rō hinnire: Beneficio enim harum qualitatum, quia proximè à forma fluunt, forma ipsæ rōw, m̄ à neclw intel-liguntur. Secundum argumentum quoad formam eodem laborat vitio, quo primum. Quoad materiam v. aquæ est vitiosum. Nam verum quidem est, quod sublatâ formâ, res ipsa tollatur, sed non è contra verum est, quod illud omne sit forma, quo sublato, res au-fertur: nam sublatâ materiâ, res quoq; auferuntur; sublatâs pro-prjs rerum accidentibus sive qualitatibus, res perit. Quia enim propria accidentia immediate formam concomitantur, imò ab ipsis effientia emanant & proficiuntur, non possunt abesse, quin simul forma destruatur. Tertium argumentum unicâ distinctione ad-hibitâ diluitur, si distinguatur inter causam agentem principalem, & instrumentalem. Prima qualitates elementorum, causa sunt agentes instrumentales, quibus formæ seu instrumentis utun-tur. Ipsæ formæ vero, causa sunt agentes principales. Actio igitur est tam à forma, quam à formæ qualitatibus. Ab illa neaw-, & principaliter: ab his, d. rōw, & instrumentaliter. Omnis enim forma agit mediantibus qualitatibus. Patet igitur formas elementorum, non esse primas qualitates. Ulte-rius vero percontanii tibi, quanam ergo alia, si non qualitates, sint elementorum formæ, nunc non dissolvam debitum: sed bona fide interea, pignori tibi relinquam, ingenui, candi-diq; animi verbum hoc: nescio, ut cum Scaligero loquar exer. 344. sect. 8.

Theo-

Theorema IV.

Motus Elementorum naturalis est duplex. Unus à medio sursum: alter ad medium deorsum. Arist. lib. 1. de cœlo c. 2.

I. Ignis & aér, à medio sursum: aqua & terra ad medium deorsum moventur, sed non pari modo. Extrema enim duo Elementa, ignis & terra, simpliciter & absolute, ille quidem à medio sursum: hac ad medium deorsum, feruntur: Appetitus formæ materialis in corpore simplici, puta terræ, unius tantum rei est extra ipsum: centri scilicet, quod unum cum meditatur, semper ab eo loco, in quo est, non naturaliter fertur. Idcirco rectus ille motus est, quia terminus externus unus. Scal. exer. 70. s. 3. Intermedia vero duo secundum quid, vel à medio sursum, ut aér: vel ad medium deorsum, ut aqua, tendunt.

II. Est vero hujuscemodi motus à principio interno, formæ nempe, quia naturalis. Ab externo vero principio si esset, non naturalis, sed violentus esset. Deinde quia in omnibus corporibus naturâ præditis, est principium motus internum, & in ipsis Elementis, utpote quæ sunt corpora naturâ prædata, erit. Hinc Scal. Forma est principium essentiale, ut terra sit terra: & principium efficiens, ut deorsum moveatur, exer. 28. sect. 2.

Theorema V.

Figura elementorum naturalis est, sphærica sive circularis.

I. Inter alias quibus Philosophus lib. 2. de cœlo cap. 4. probat cælum

cælum esse sphaericum, argumentum sumit ab elementis, præcis
quis mundi partibus, & probat, hæc quia constant figuræ sphaericæ,
ipsum etiam cælum, quod ipsis est contiguum, figuræ sphaericæ con-
stare. Cui suffragatur Scaliger, à situ inquiens, intelligo figu-
ram totius: Elementorum namq; loca circularia: tum quia
circulari corpore, quod est cœlum, tum quia circa centrum
continentur, exer. 105. sect. 2. Et ratio in promptu est. Sunt
enim 1. corpora homogenea. Unitas autem in homogeneis
excellentius servatur in globo. Nihil enim dissidet, nihil ab-
sistit, nulla inæqualitas, qua parti pars vel desit vel supersit,
Scal. loco jam citato. 2. Videmus, quod aquæ guttulas sint spha-
ricæ. Suo autem jure, sub ea figura partes sunt, sub qua to-
tum est à natura constitutum. Scalig. ibid.

II. Quamvis autem Philosophus certam aliquam figuram
elementis denegare videatur lib. 3. de cœlo cap. 8. quod unum-
quodq; undiq; extremitatem rei, cui jungitur contingat, & ad illius
figuram sece accommodet: attamen quia hoc saltem per accidens
fit, non est propterea elementis figura certa deneganda. Sic aqua
in vase quadrato, quadratam quidem habet figuram, sed per acci-
dens: per se autem habet rotundam.

Theorema VI.

Quatuor sunt elementa: Ignis, aëris, aqua,
& terra. Arist. lib. 5. de cœlo cap. 5. & lib. 2.
de gen. & cor. cap. 3.

I. Timpleris quidem, ignem & aërem, è numero elemento-
rum exturbare, sed frustra conatus est, lib. 3. Phys. cap. 2 q. 1.
par. 2. Rationes ejus examinabimus, si prius nostram sententiam
probaverimus. Cum communi vero Philosophorum d'extrè sen-
tientium schola quatuor, & neq; plura, neq; pauciora agnoscimus

B

Elemen-

Elementa. 1. Quia quatuor sunt elemētorū prima qualitates, *dēspōn*,
η̄ ψυχρὸν, καὶ ξηρὸν, καὶ ὑγρὸν, calidum, frigidum, siccum, humidū
Arist. lib. 2. de gen. & cor. cap. 2. Qualitates autem quia sunt
accidentia, non possunt carere subjecto. Igitur quatuor subjecta
sunt agnoscenda, quibus qualitates istae insint. 2. Quia omnia cor-
pora mixta ex quatuor elemētis sunt composita, quod patet partim
ex generatione: Omnis enim generatio est è contrarijs, ἀπέτειναι
χρήστεις ἐν ταύταις εἰσίν, εὐοπάρχει ἢ δέπερα ἄκρα ταύ-
ταις εἰσίν, ἀνάγκη καὶ δέπερα εὐοπάρχειν. ὡς ἐν ἀπαντή-
λω πάνται τὰ ἀνταντά εὑρέσει. Arist. lib. 2. de gen. & cor. c. 8.
t. 49. Elementa autem sibi invicem sunt contraria Arist.
ibid. Partim ex nutritione: Omne enim vivens nutritur è qua-
tuor Elementis: nam unum si abesse, neq; planta neq; animal
vivere posset. Nam vero è quibus nutrimur, ex hisdem etiam
constamus, ἀπαντήλαι μηδὲ τε φύτα τοῖς αὐτοῖς εἴξεται. t. 50.
Partim ex resolutione, quia omnia corpora mixta in quatuor ele-
menta vicissim resolvuntur. Corpus enim quando putreficit, primo
humida materia abit, quae est aqua: deinde cum calore, siccata, quae
est ignis: tertio materia tenuis & subtilis, quae est aëris: et quartò
nil nisi terrea materia relinquitur.

II. Sed audiamus & argumenta Timpleri, quibus contra
vulgarem hanc, & ab omnibus fermè receptam sententiam insur-
git. Ac primò quidem contra ignem cum Cardano, quem jamdudū
refutavit Scaliger exer. 9. sic insert: 1. Si inquit scripturam S.
consulas, nusquam in ea fit mentio talis ignis, qui à DEO
fuerit creatus, & supra aërem collocatus. 2. Si sensum con-
sulas, nul'us est ex quinq; illis, quos DEUS homini attribuit,
qui tales ignem supra aërem situm testetur. 3. Si rationem
consulas, illa aperto Marte militat adversus ignem illum
Lunæ proximè subiectum. Nam 1. Naturam veri ignis
non habet, cum neq; sit lucidus, neq; ardeat, neq; illuminet,
neq;

neq; comburat aliquid. 2. materiam combustilem non
habet, quā conservetur. 3. nulli corpori mixto materiā præ-
bet, ex qua generetur. 4. nullus alius ejus usus solidè demō-
strari potest, cujus gratiā opus fuerit, illum à DEo creari,
& supra aërem collocari.

III. Deinde adversus aërem ita pugnat: 1. Aër non est
species elementi, quia definitio, cœli non elementi ipsi
competit. 2. Nullum corpus mixtū est quod ex aëre, tan-
quam materia, vel à DEo, vel à natura fuerit productum.


IV. Hac sunt argumenta, tam contra elementum aëris, quam
ignis directa, qua tamen omnia, veritatis igne supposito, in fumum
abeant necessum est. Primum enim laborat fallaciâ consequen-
tis. Non sequitur: In scriptura S. non fit mentio ignis elemen-
taris. Ergo non datur. Quia paucissimarum specierum, à Deo con-
ditarum, inibi expressa fit mentio. Quis autem sanus inde vellet
inferre: Ergo species rerum naturalium, quarum non fit mentio
in S. scriptura, non dantur in natura? Secundum admodum in-
firmum est, siquidem non sumus cum vulgo sensibus simpliciter
addicti, ut tantummodo credamus, quod videmus, vel tangimus.
Quis sensibus deprehendere potest materiam primam, rerum for-
mas, animam nostram? Ergo hæc non sunt? haud dixerim.
Neg^t tamen verum est, ignem elementarem nullo modo sentiri.
En proponimus familiare cū Scaligero, quotidianumq; exemplum.
Qui fumus ascendit, is in se ignis habet plurimum. Non
enim ascendit propter aquam: tantominus propter terram
ipsam. Sed neq; ab aëre fiet motas is: in aëre enim est,
Quem igitur quæreret locum? Eum profectò qui supra aërem
levissimæ debetur naturæ. Scal. exer. 9. Tertium adhuc ali-
quot rationibus munitum est, ad quas ordine respondebimus. Ac
ad primum quidem, quod raritas ignis in causa sit, quo minus lu-
ceat, illuminet & comburat. Est namq; elementum ignis corpus
valdè rarum & non ita densum, quemadmodum noster ignis, quo

quotidiè utimur culinaris, qui ob densitatem suam lacet & ardet. Nam quo modo frigescit aqua congelata: sic & ignis condensatus ex illa corpulentia & lucescit & calescit: nō per qualitatis in singulis partibus intensionē, sed propter earū partium propinquitatem. Scal. ibid. Ad secundam respondemus, quod ignis elementaris, ob puritatem suam non indigeat materiā combustibili sive pabulo, quo conservetur, quemadmodum ignis culinaris, qui valdè impurus, & ob id sine pabulo conservari nequit. Ad tertiam, quod principium petat. Nos enim statuimus, ignem quia elementum est, concurrere ad generationem mixti, licet non ī semper, qui est sub sphera Luna, sed qui est & reperitur in alijs corporibus mixtis: quemadmodum necessum non est, ut in generatione mixti concurrat ea terra qua est in centro, sed sufficit terra propinqua, qua est in ipsis mixtis. Plura vide apud Scal. exer. 23. s. 1. Ad quartam, magnum esse usum ignis elementaris: nullum enim animantium absq; eo vivere potest, cum mortuum sit omne, quod planè omnis calor est expers. Quare autem ignis iste à Dō supra aërem sit collocatus, docet idem Scal. ignis inquiens coelo affinis est. Namq; & lucis in seipso principia continet: & admodum mobilis est, & corruptibilium corporum purissimus: & parum abest ab essentia formæ cuiuspiam, exer. 9.

V. Restant argumenta duo adversus elementum aëris producita, dissolvenda, quorum primum simpliciter falsum est. Definitionem enim cœli, non propriè competere aëri, scit is, qui saltum à lumine, quod dicitur, Physicam salutavit. Alterum priore haud multò melius est. Ex aëre solo quidem nullum corpus mixtum generatur: sed non concurrere eum una cum reliquis elementis ad producendum corpus mixtum, nondum probavit Timplerus.

C O R O L L A R I A.

1. An elementa ex omni parte habeamus puras? N.
2. An elementa inter se transmutentur? A. miscl. f. 11r fol. 473
3. An elementa secundum partes tantum ortui & intericui sint obnoxia? A.





306. sect. 20. in hæc verba erumpens: Omne quum principium, aut à primo principio. Unia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia ruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; natura: nunquam vero corruptitur; nunquam immortalitate Deus ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem dare licet. Nam 1. Angelus tantum, & aingunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se possunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorem III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpore.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore, sed semper extra corpore. per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant bona est. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi co-

359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora nunt, & natura eorum non est, corporibus ut formare, meritò per se ab omni corporis unione.

II. Sunt vero Angeli in duplice differenti boni: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essens, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur.

Quicquid autem à Deo creatum est, bonum

A 3



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 12345